

presse dicens g) non negari notitiam diaboli qua talem esse certam; desiderans saltem probationem asserti, illam esse vera indolis ex affectu; qvod fallaciter desertum queritur. Ipse tamen respondet ad eam, qvæ pro defendendo illo asserto allata fuerat, comparatione diaboli cum subdito carceri mancipato: *in regno mundi penes ejusmodi subditum fiducia non est pars ejus fidei, qua credit quæ à subditocredenda sunt, an propterea non est pars fidei in regno DEI?* De qua vero te paulo post constabit. Quantacunque vero sit certitudo dæmonum, & qvam acerbus ejus effectus iis existat, ut primum tamen ad sua redeunt mendacia, scelera, fraudes, & à facie domini quasi exeunt, tantum detrahere videntur suæ certitudinj, quantum mendacia sua fatagunt stabilire; & nunc sibi ipsis suisque quasi sensibus diffidere, nunc DEI immutabilitatem & veracitatem ex suo ingenio judicare, adeoque de iis, quæ modo cum assensu horrorem incutiente agnoverant, nunc dubia sibi fingere, ut sui regni statuta appareant, ceu optant, tanto firmiora. Vnde non male Theologi, notante etiam J. Fr. Mayeroh), damnationem inter cæteras calamitates in corruptione notitiæ intellectus collocant, maximam hinc damnationis diabolos eruantis partem colligentes, quod plurima quæ norant, ea non sine animo pendente, incertisque fluctibus horsum quovsum delato, norint.

- a) *Diss. de Fide Justif. nat.* allegata Christiano Chemnitio de fide dæmonum p. 38. b) l. c. p. 35. c) *In Luce IV.* d) *Disquisit. de vera rerum sacr. not.* p. 170. e) *Epist. Anti-Pelag.* P. I. p. 80. sqq. f) *Epist. Anti-Pelag.* p. 77. sqq. g) *Epist. Anti-Pelag.* P. II, pag. 109.
- h) *An Christum diabolus in statu exiit. agnoverit.* p. 13.

### §. XXXIII.

VIVA dicitur hominum Theologia inde potissimum, qvod *An vivat* mortem spiritualem extingvere ac mortificare, & vitam novam accendere apta semper nata existat. Qvo sensu facile patet dæmonum Theologiam vivam dici non posse. Qvod Origenes a) ait: *dicat alius causam, cur homines carnem & sanguinem indui confugere possint mutati ad DEV M per CHristum, eos vero, qui puriori natura uiuntur, incapaces esse omnes credendi in servatorem, minimeq; obstupescere propter prodigiosas virtutes, quas ipse fecerit;* ab Ecclesia dudum confutatum est. Æternis tenebris vincit nullam mutationem, nullum accessum ad DEV M; ad tartaream mortem destruci nullam in servatorem fiduciam, nullam vitæ spiritualis radi-

H 2

cem.